

aquis aquarumque decursibus piscationibus si quae sunt vel esse poterunt ac cum aliis obventionibus utilitatibus et servitiis praedicto ponti conferimus damus donamus et attribuimus cum omni honore utilitate et libertate apud dictum pontem proprietatis titulo perpetuo permanendis. Et ne super proprietatis donatione a nobis rite et rationabiliter facta valeat alicui in posterum dubietas aliqua suboriri, praesens scriptum desuper in evidens testimonium dari fecimus sigilli nostri munimine roboratum. Testes huius sunt nobiles viri dominus Otto burgravius senior de Donin et Otto, Ernest et Otto Heyden sui filii, dominus Cunradus Hunrich, dominus Henricus de Wrganewycz, dominus Otto de Wildenstein milites, Guntherus de Zlowin, Thyzco de Wilntin, Henricus de Nuendorf et quamplures alii fide digni. Dresden per manum domini Adolphi nostri notarii datum anno incarnationis domini millesimo CCC°. XI°. sexto Kal. Julii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem am Rande beschädigten Siegel an einem Pergamentstreifen.

Weck Dresden S. 192. — Schramm histor. Schauplatz d. merkw. Brücken. Urk. S. 7. — Neubert Vortr. S. 162.

### No. 29. 1312. 26. Mai.

*Markgraf Friedrich von Dresden gelobt, in keinem Falle irgend welche Leute zum Verderb und zur Beschwerung seiner Bürger in die Stadt aufzunehmen, vielmehr die Bürger gegen Befehder und Belästiger zu schützen.*

Fridericus dei gratia marchio de Dresden omnibus praesentes inspecturis salutem in omnium salvatore. Cum fama laudabilis et immensitas honoris omnium principum per hoc quamplurimis extollatur virtutibus et piis laudum decoretur titulis, cum suos fideles paterno et sincero amplectuntur affectu et eorum utilitatibus et commodis intendunt utiliter et insudant, tenore praesentium recognoscimus et publice profiteamur, quod licet fideles iuratos et cives nostros in Dresden ex debito fidelitatis, quae merito inter nos semper vigere debet et durare, omni qua possumus sinceritatis amminiculo prosequi teneamur, quia tamen aliquotiens ex causis levissimis inter dominos et eorum subditos aliqualis emergit rancoris scrupulus, per quem ipsis quandoque contra suum dominum dubium aliquod suscitatur, ut illud dubium a cordibus praedictorum iuratorum et civium nostrorum in Dresden plenarie et omnimodis amoveamus et tollamus, ipsis promittimus per praesentes et certitudinem facimus patrocinio praesentium litterarum, quod nulla causa nos unquam tempore aliquo instigare debet et inducere, quod aliquos ad nostram civitatem Dresden vocemus aut recipiamus homines in eorum detrimentum et gravamen, sed potius volumus eos contra quoslibet eorum invasores et molestatores prout merito tenemur defensare pro viribus et tueri. In cuius rei evidens testimonium praesentem litteram ipsis dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Testes huius sunt Henricus de Wrganewycz miles noster, Adolphus noster notarius, Thyzco de Wilntin, Henricus de Nuendorf, Guntherus de Zlowin et alii plures fide digni. Datum Dresden anno domini millesimo CCC°. XII°. VII°. Kalendas Junii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem wohl erhaltenen Siegel an einem Pergamentstreifen. Hasche Urkundenb. S. 75.